



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Theologia Moralis, Seu Resolutio Casuum Conscientiæ**

Juxta Sacram Scripturam, Canones, Et Sanctos Patres

Continens Tractatus de Sacramentis in genere; de Baptismo, de Confirmatione, Eucharistia, Sacrificio Missæ; Constitutionem Innocentii XII. super celebratione Missarum, variaque alia decreta

**Genet, François**

**Parisiis, 1703**

Q. 5. Licet-ne accipere certam eleemosynam, & parte illius retentâ, alteri celebrandam Missam committere?

**urn:nbn:de:hbz:466:1-40834**



*De Sacrificio Missæ. Cap. V. 253*

*tina 1. Martii ejusdem anni. Tertium dubium propositum erat his verbis. 3. Quærit, an dum dici debent duæ Missæ Conventuales, propter officium alicujus Sancti occurrens in Quadragesima, aut aliis feriis majoribus, Missa de Sancto applicari possit pro Anniversario fundato, quod passim fieri solet in sancta Ecclesia? Respondit sacra Congregatio his verbis: Ad tertium negativè, quia Missa de Sancto est satisfactoria, & ex obligatione Festi currentis: Conventualis verò applicanda pro populo; & Missa de feria ex præcepto Ecclesiæ ubi viget consuetudo, nec pro hac aliud stipendium recipi potest. Debitam obedientiam præstitit his Decretis Capitulum nostrum Vasionense, & sine mora executioni demandata sunt, & in Actis capitularibus registrata.*

Videatur Bulla Innocentii XII. in fine Tomi hujus.

*Quæst. 5. Licet-ne accipere certam elemosynam pro Missa celebranda, & parte ejusdem elemosynæ sibi retentâ, alteri celebrandam committere?*

*Resp. Certum est in proposito casu esse mortale peccatum. Quod probatur 1. ex Bulla Urbani VIII. in qua sic legitur: Prohibetur etiam Sacerdoti qui Missam suscipit celebrandam cum certa elemosyna, ne eandem Missam alteri, parte ejusdem elemosynæ sibi retentâ, celebrandam committat: itaut administratores Ecclesiæ ex elemosynis Missarum celebrandarum nullam utcumque minimam portionem retinere possint, ratione expensarum quas subeunt in Missarum celebratione pro paramentis, luminibus, vino, Hostia, & similibus; nisi cum Ecclesiæ & loca ipsa alios non habent redditus quos in usum earundem expensarum erogare licitè possint. Et tunc eam*

“ Bulla 431.  
“ Urbani  
“ VIII. quæ  
“ incipit:  
“ Cùm sæpe  
“ contingat



- » portionem quam retinebunt, nullatenus debere  
 » excedere valorem expensarum, quæ pro ipso-  
 » met tantum Missæ Sacrificio necessariò sunt  
 » subeundæ. Et nihilominus eo etiam casu cu-  
 » randum est, ut tot Missæ celebrentur, quot  
 » præscriptæ fuerunt ab offerentibus eleemosy-  
 » nam.

Probatur 2. ex summo Pontifice Alexan-  
 dro VII. damnante sequentem propositionem:  
 Propositio 9. *Post Decretum Urbani, potest Sacerdos, cui*  
*damnata. Missa celebranda traduntur, per alium satis-*  
*facere, collato illi minori stipendio, alia parte*  
*stipendii sibi retentâ. Videatur Bulla Inno-*  
*centii XII. in fine hujus Tomi.*

*Quæst. 6. Quando Episcopus præscripsit*  
*eleemosynam pro Missarum retributione, Sa-*  
*cerdos tenetur-ne totidem celebrare Missas,*  
*quot celebrandas suscepit, si accepit minorem*  
*eleemosynam, quàm præscripta fuerit ab Or-*  
*dinario?*

*Resp. Tenetur, ut patet 1. ex dicta Bulla*  
*43. Urbani VIII. in qua sic legitur: Præcipi-*  
*tur Sacerdotibus, ubi pro pluribus Missis, plu-*  
*ra stipendia quantumcumque incongrua, &*  
*exigua collata fuerint, tot Missæ celebrentur,*  
*quot ad rationem attributa eleemosynæ præ-*  
*scripta fuerint, etiamsi Ordinarius præscrip-*  
*serit eleemosynam congruam juxta qualitatem*  
*loci, personarum, ac temporum, ita ut alio-*  
*quin ii ad quos pertinet, sua obligationi non*  
*satisfaciant, quinimo graviter peccent, &*  
*ad restitutionem teneantur.*

Probatur 2. autoritate summi Pontificis  
 Alexandri VII. qui damnavit hanc proposicio-  
 nem: *Non est contra justitiam pro pluribus*  
 Propositio 10. *Sacrificiis stipendium accipere, & Sacrificium*  
*damnata. unum offerre.*

*Ratio est quia cum quis aliquid dat cum*